

- TEXTE : Fabulae Mirabiles : *Auricoma et tres ursi* -



Olim erant tres ursi qui in sua aede in silva habitabant. Tres ursi erant pater ursus, mater urs a, et ursulus. Quodam die ursi ad mensam sedebant ut pultem ederent, sed puls erat nimis calida. Ursi exeuntes per silvam ambulaverunt dum puls decalescat. Interim, ursis profectis, parva puella, quae appellata est Auricoma, aedem vidit. Per fenestram perspiciens neminem adesse vidit. Auricoma portam aperuit et in aedem intravit.

Auricoma in culinam intravit et pultem vidit.

Maxime esuriebat, et puls erat cibus carissimus Auricomae. Primum, magnum craterem puitis (quem pater ursus reliquerat) temptavit. "Eheu," ait Auricoma, "haec puls nimis calida est. Non eam edere possum." Deinde minorem craterem (quem mater ursa reliquerat) temptavit, sed haec puls nimis frigida erat. Tandem minimum craterem temptavit qui pultem ursuli habebat. "Ecce, haec puls perfecta est!" clamavit Auricoma et omnem pultem edit.

Tunc Auricoma considerare statuit, et circumspiciens tres sellas invenit. Prima sella nimis dura erat, altera sella nimis mollis, sed tertia sella perfecta erat. Auricoma in sella consedit et sellam rupit! Auricoma per sellam et in solum cecidit! Auricoma breve tempus lacrimavit, tunc surrexit et ait, "Nunc alius locus ad sedendum mihi inveniendus est."

Auricoma in cubiculum intravit et tria cubilia ursorum vidit. "Ecce," putavit Auricoma, "Bonum tempus ad dormiendum est," et cubilia appropinquavit. Primum cubile nimis altum erat. Secundum cubile ni mis humile erat. Sed tertium cubile perfectum erat, et Auricoma accubuit in cubili. Cubile tam gratiosum erat ut Auricoma statim dormesceret.

Mox tres ursi revenerunt ut pultem ederent. Pater ursus cocleare in pulte spectavit et clamavit, "aliquis meam pultem edebat!" Mater urs a cocleare in sua pulte spectavit et dixit, "quo que aliquis meam pultem edebat." Tunc ursulus craterem vacuum vidit et lacrimavit "aliquis meam pultem edebat, et totam pultem edit!"

Tunc ursi, qui esuriebant et irascebantur, suas sellas viderunt. Pater ursus ait, "aliquis in mea sella sedebat." Et mater ursa ait, "Ita, et aliquis in mea sella sedebat." Tunc ursulus ruptam sellam vidit et lacrimavit "aliquis in mea sella sedebat et eam rupit!" Ursulus, pulte esa et sella rupta, maestissimus erat.

Pater ursus ait, "Fortasse fur in nostra aede adest. Circumspicere debemus." "Ita, ita," consenserunt mater ursa et ursulus.

In cubiculum intraverunt tres ursi et cubilia inspectaverunt. "Aliquis in meo cubili cubabat," ait pater ursus, magna voce aspera. "Et aliquis in meo cubili cubabat," ait mater ursa. Ursulus cubile inspectavit et Auricomam dormientem vidit. "Ecce! Ecce!" clamavit Ursulus, "aliquis in meo cubili cubabat, et adhuc adest!"

Auricoma, quae profunde dormiverat, e somno excitata est et tres ursos vidit. Ursi perirati erant et fremebant. Certe si quis tres ursos frementes videat, terreatur. Auricoma tam terri ta est ut circum cubiculum curreret et per fenestram saliret. Excurrit quam celerrime, neque umquam ad aedem trium ursorum rediit.

Et tres ursi plus pultis paraverunt, sellam ursuli reparaverunt, et feliciter posthac habitabant. Et illa est fabula Auricomae et trium ursorum.